Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

non preterit. Ideo et in rebus secundis ponitur, id est prosperis. Sed de tertia autem a sequendo sunt dicte. Cum enim beatum faciant, sicut superius disputatum est, due res, bene uelle et posse quod uelis. Non debet esse illa peruersitas que in eadem disputatione notata est, ut ex duabus rebus que faciunt beatum posse quod uellet homo elegat, et uelle quod oportet negligat. Cum prius debeat habere uoluntatem bonam, magnam uero postea potestatem. Porro uoluntas purganda est a uitiis, a quibus si uincitur homo, ad hoc uincitur, ut male uellit, et bona iam uoluntas eius quomodo erit? Obtandum est itaque ut potestas nunc detur, sed contra uitia propter que uincenda potentes esse nolunt homines. Ut quid hoc nisi ut uere uicti falso uincant? Nec sunt ueritate sed opinione uictores. Uellit homo prudens esse, uellit fortis, uellit temperans, uellit iustus. Atque ut hec ueraciter possit, potentiam plane optet atque appetat, ut potens sit in se ipso, et miro modo aduersum se ipsum pro se ipso. Cetera uero que bene uult et tamen non potest, sicut est inmortalitas et uera ac plena felicitas, desiderare non cesset, et patienter expectet.

De hominum debito per nichil debentem Christum solutum.

Que est igitur iustitia qua uictus est diabolus? Que est iustitia Ihesu Christi. Et quomodo uictus est? Quia cum in eo nichil morte dignum inueniret, occidit eum tamen. Et utique iustum est ut debitores quos tenebat liberi dimittantur, in eum credentes quem sine illo debito occidit. Hoc est quod iustificari dicimur in Christi sanguine. Sic quippe in remissionem peccatorum nostrorum innocens ille sanguis effusus est. Unde se dicit in psalmis: Inter mortuos liberum. Solus enim a debito mortis liber est mortuus. Hinc et in alio psalmo dicit: Que non rapui